

177

002

4

6

Disputatio Ordinaria  
*ex*  
Jure Nat. & Gentium  
*DE*  
**EODEM & DIVERSO,**

Annente Numine

*Sub P R A E S I D I O*

**HENRICI COCCEJI,**

*U. J. D. Jur. Nat. & Gent. Prof. Ord.*  
*& F. P. Decani,*

DEFENDENTE

**JOH. LUDOVICO SCHMENDT,**

Bretta-Palatino


*Ventilanda die 16. Januar.  
1675.*



*HEIDELBERGÆ,*

Denuo recusa 1715.





I.

**J**uris consulti maxime interest nosse quæ res sit eadem; in plurimis enim iuris articulis, an eadem res sit quaeritur teste Paulo in L. 85. § 5. in f. de V. O. unde eam quæstionem Jcti Romani saepius anxie & operose subducunt ut in L. 76. de Judic. L. 98. inf. de solut. L. 22. de L. 1. L. 10. quib. mod. us. amitt. d. L. 83. § 5.

II.

Scil. iura omnia rebus inhærent, ubi ergo res pereunt etiam iura quæ rebus inhærent perire necesse est. Accerrime ergo jam olim inter Jctos Romanos disceptatum fuit, an etiam pereant res, quæ in aliam formam & speciem mutantur? Quod plerique affirmabant, secuti Philosophiam tunc communem quæ certam corporibus formam ab accidentibus distinctam indivisibilem & talem, qua sublata ipsa rei substantia cum omnibus accidentibus corrueret, tribuebat, eaque obtinuit, ut patet ex L. 9. § 3. ad exhib.

III. Sed

\* (4.) \*

III.

Sed omis̄a autoritate quae in Jure Nat. nulla valere potest, dicimus: nihil in re esse statuendum, quod in ea non appetet: id enim tantum affirmari posse quod & quatenus ratione prius perceptum fuit suo loco ostendimus.

IV.

Hinc porro dicimus, omnium corporum in orbe terrae ( reliqua enim non sunt humani Juris, adeoque nec hujus loci ) eandem esse substantiam, nec inter se differre, nisi diverso partium situ, motu, aliisque accidentibus.

V.

Hoc ostenditur (1.) si terrae partes ad eam tenuitatem comminuas ut earum interstitia ad sensum nulla appareant easque ad motum incites, videbis ad fluorem aquae eas accedere. Ita eadem ratione constat aquam igne ferventem in aerem, aerem seu fumum lignis primis incensis ortum mox in ignem resolvi: quin & contra aerem inhibito arte motu & condensatis partibus ad consistentiam aquae redegit III. Boyle in his. fluit. Cum igitur ex his quatuor corporibus seu partibus orbis hic sublunaris constet, eaque corpora invicem mutent-

\* (5.) \*

tentur partibus saltē imminutis & ad motum  
incitatis, vel contra, sequitur illa corpora inter  
te non differre, nisi partium sitū ac motu, a-  
liisve inde natis accidentibus.

VI.

(2.) Si lapis v. gr. seceretur in duas par-  
tes & quacunque virtute ad priorem integrita-  
tem restituatur, nemo negabit eundem esse  
lapidem cui nihil substantiae ablatum est, quid  
autem interest in duas an plures seu innumerās  
partes seceretur, dummodo iisdem partibus per-  
fecte restituatur? idem ergo hoc erit corpus,  
cum nihil demptum nihil additum appareat per

§. 3.

VII

Hinc sequitur si in illa restitutione par-  
tium nihil mutetur nisi earum situs, corpus il-  
lud à priore solo situ, indeque natis accidenti-  
bus differre, et si nihil simile habeat cum prio-  
re: tota enim substantia eadem est, & nihil  
mutatum nisi situs. Diversitas E. specierum tan-  
tum est à vario situ & motu partium seu ab  
accidentibus: quae Diversitas si notabiliter ap-  
pareat; aliud nomen res induit, & alia spe-  
cies videtur; si non notabiliter appearat pro ea-  
dem re habetur.

VIII.

Quinimo hæc apparentia facit, ut et si ipfi-  
us

us substantiæ pars mutetur tamen eadem res videatur, si diversitas non appareat notabiliter, uti domus seu navis per partes refecta pro eadem habetur. §. 7. Et all. II.

## IX.

Hinc patet (1.) cum Sabino statuendum, mutatione speciei non interire dominium, et si ad priorem speciem illa reverti non possit: dominium enim est in tota rei substantia, quæ eadem manet. §. 4. 5. 6. 7. nec movet, quod is qui speciem fecit, jure suæ actionis sibi acquirat. Nam jus agendi habet in re sua non in re alterius. Idemque est in pignore quod non mutatur mutata specie. (2.) Quod accedit alii rei tanquam toti, non cedere accessionis vice isti rei: manet enim diversa ab isto toto, & eadem quæ ante fuit, adeoque ejusdem domini, dd. §§. (3.) Contra domus per partes refecta non manet eadem re vera domus, et si diversitas non appareat. conf. §. 8. adeoque si nova materia alterius fuerit, ejusdem manet: nam si ipsius reficientis sit materia, non dubium quin ipsius maneat. (4.) Sic si navis v. gr. pignori data dissoluta sit & mox refecta, durat pignus, nec (quod Paulus putat d. L. 83. §. 5.) consilium agentis quicquam huc facit. (5.) Sic debitor speciei non liberatur si in aliam speciem mutetur;

\* (7.) \*  
tur ; & ita innumera alia hinc deducan-  
tur.

X:

Hæc omnia secus sunt in juribus quæ  
non consistunt in ipsa rei substantia , sed  
(α) in ejus usu , quia cum rei acciden-  
tibus etiam usus variat ; Sic ædium u-  
sus consistit in habitatione : Si autem il-  
læ corruant, etsi omnis substantia & mate-  
ria maneat , definit habitatio : Uſuſtru-  
ctus ergò mutata specie intercidit. (β) In  
qualitatibus , uti in cautionibus , si quis  
promisit se ſtiturum ancillam & manu-  
missam ſitit , eadem cauſa non eſt , quan-  
quam ſecus ſit ſi prægnantem ſiſtat , quia  
& illa ancilla eſt. d. L. 83. in f.

XI.

Quantum autem hinc diſſideant  
LL. civiles haud equidem latet , quibus  
tamen ſua autoritas ex ratione civili ma-  
net , ut ſuo loco . Sed ſcilicet iſſos olim  
JCTos accerrimo certamine hic inter ſe  
diſſenſiſſe liquet §. 2. prælatamque ſenten-  
tiam

\* (8.) \*

tiam tunc communem, & quæ speciem acuminis Philosophici habebat, quin hodie eam falsam esse inter accurratiores constat.



## COROLL.

In Jure nostro non est Legum contrarietas.



152960

AB 152960



5b.

V018

V017



EOD

HEN

U. f.

JOH. L



RSO,

EJI,

Ord.

ENDT,

